

Dissertatio inauguralis medica de raucitate / [Friedrich Johann Engelbrecht].

Contributors

Engelbrecht, Friedrich Johann.
Schulze, Johann Heinrich, 1687-1744.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halle : J.C. Hilliger, 1740.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/eucdpa2w>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
RAVCITATE

QUAM
PRAESIDE

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO

ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRIOSORVM
ET PETRIPOLITANAE VT ET REGIAE SCIENTIA-
RVM SOCIETATIS BEROLINENSIS
SODALE

PRO GRADV DOCTORIS

Ad d. Mart. MDCC XL.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS

FRIDERICVS IOAN. ENGELBRECHT

STOLPA-POMERANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

Litteris IOAN. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

RAYMOND

THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

Q. B. F. Q. V.
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA.
DE

RAVCITATE.

PROOEMIUM.



medicina non solum clinicos, qui graues periculososque morbos in lecto decumbentes perferunt, opem expectare & efflagitare; verum illos etiam, qui cetera satis bene valentes obambulant, & tantum in aliqua actione cum facilitate edenda offendunt: rem puto esse notissimam & quotidianis exemplis comprobata. Non enim solum viuere & valere mortales optant, sed quantum fieri potest, optime valere, & nullo incommodo, quod vel sibi vel aliis molestiam pariat, detineri. Quam late id desiderium pateat, discimus illorum exemplo, qui se sæpius exigui incommodi causa, quod sæpe tantum in opinione hominum consistebat, medicinam pollicitis hominibus non tam curandos, quam cruciandos & excarnificandos tandemque per-

A 2 dendos

dendos committunt: aut dum ipsi nimium sibi fidunt, adhibitis euporistis periculum sibi præsentissimum adducunt. Sic memini iuuenis verrucularum in manu pertæsi, qui, dum sui ipsius medicus esse cupiebat, periculosam inflammationem totius brachii attrahebat: & feminae honestæ, quæ quidem non sua sponte, sed multis persuasionibus adducta, verrucam in facie empirico tollendam permittebat, unde cancrösus vlcus multorum annorum decursu molestissimum tandemque funestum reportabat. Quis non horrescit vbi apud CELSUM, ceterosque veteres, legit carnificinas priscas, quibus pituitæ ex oculo fluxum cohibere tentauerunt, hypospathismum, periscyphismum & angiologiam, cruentissimas operationes, totque iniustiones eodem fine institutas, contra omnem sanam rationem. Aut quis Romanorum imperatorem non miratur, crus varicosum chirurgo præbentem, vt sub cute resectas & separatas dilatationes venæ excinderet: idque tanta constantia perferentem, vt nec vnico suspirio dolorem sentire se testaretur, neque vlli tenendum se sub tantis tamque longis cruciatibus permetteret. Quamquam magnitudo illorum constantiam durissimi viri expugnauit, vt,

vt, altero crure absoluto, mallet alterum cum suis varicibus gestare, quam tantorum dolorum pretio liberationem plenam emere. Non minus admiratione dignum videtur viri cuiusdam honorati propositum, qui cum rheda eversa vtrumque crus infeliciter fregisset, & curatus, cum aliqua deformitate, incessui tamen nihil officiente, fuisset, maluit se cum curifragii noui conditione alii chirurgo curandum subiicere, quam tantulum incommodum perferre. Tanto minus videtur feminis, in quibus cura venustatis omnem aliam considerationem subinde vincit, vitio vertendum, si, per tenuem faciei suæ cuticulam transparentes ephelidas fugaturæ, etiam præmonitæ de periculo, adhibent mercurialibus solutionibus imprægnatas aquas smeéticas: scilicet minus graue ducentes si edentulæ fiant, quum illud vitium appositis dentibus affabre factis tegere norint, hoc autem, quod putant omnes oculos arbitrari, intolerabile iudicent. Non dabo plura exempla sollicitati medicorum studii etiam in rebus, quæ nullius aut exigui momenti videbantur. Hæc autem præfari volui, vbi de raucitate differe paratus, videri aliquibus potero, quod leue symptoma, & vix dignum medici cura, di-

mittere potuisssem, & industriam potius exercere debuisssem in aliquo maioris momenti. Si vero cogitare voluerint, quam multis vox rauca maximum incommodum afferat, si id vitæ genus habeant, vbi clara & sonora maxime requiritur, vt sunt concionatores, & quicunque sæpe ad multos auditores sermonem officii causa facere debent: intelligent vtique non esse hoc argumentum tractatione accuratio-
re indignum. Atque vtinam mihi contingat illam ita elaboratam dare, vt beneuoli lectoris expectationi satisfaciat.

§. I.

QVem affectum hodie *raucedinis* nomine per-
vulgatissimo appellamus, omnes omnino veteres, Romano ore loquuti, *raucitatem* vocant, neque vnumquam aliter apud Celsum, Plinium, Scribonium Largum, Cæliumue Aurelium inuenies. *Rauim* etiam pro raucitate veteres dixisse apud Festum annotatum legimus; & pro *rauco* eosdem *rauum* dixisse, apud auctores latinæ linguæ reperi-
mus. Græci medici pro raucitate designanda dicunt *Βράγχος*, quod vocabulum, cum inde deductis, apud FOESIVM & GORRÆVM euoluendum suademus, quoniam iis, quæ ad onomatologiam petinent, in-
herere nunc non licet. Est autem raucitas vitium aliquod vocis, quando illa imminuta & obscura redditur, vt vix nisi a prope adstantibus exaudiri & in-
telligi

telligi possit. In quo differat ab aphonía, seu vocis plenário defectu, non opus est multis explicari, quoniam per se patet.

§. II.

Vt autem dicenda de hoc vitio clarius intelligi possint, de voce quædam ex physiologia debent præmitti. Dedit autem deus multis animalibus vocem: homini autem eandem cum multis quidem aliis, hac autem præcipue insigni prærogatiua, vt eam possit articulate distinguere, sicque loquelam perficere: quo nihil est ad vitam perfectiorem magisque felicem reddendam magis accommodatum. Materiam quasi soni aut vocis præbet aer ex pulmonibus emissus, quem in recte constituto corpore vel tacite & vix quoquam sentiente exspiramus, vel, vbi id nobis placet, cum aliqua vi maiore per arteriam asperam eiusque rimulam, quæ glottis vocatur, expellimus, vnde sic elisus inque vndulatorium motum redactus & ad aures aliorum delatus, illam perceptionem illis imprimit, quam sonum aut vocem appellare consueuimus. Pro eo autem ac ipsa arteria aspera cum glottide, oris etiam ac narium cava, per quæ transit & emittitur sonus, magis vel minus glabra & læuia, aut aspera & inæqualia sunt: ipseque transitus viam liberiores aut impeditam vel alicubi occlusam præbet, vox etiam vario modo afficitur, vt acutior, gratior, clarior sit, aut obtusa, grauis, strepera, stridensue ac imminuta percipiatur.

§. III.

Vt autem aer in pulmones attrahi, iterumque ex iis expelli possit, opus est ministerio admodum multa-

multarum partium solidarum, ad hanc actionem aptissima conformatione organica præparatarum: de quibus omnibus, si dicere hic deberemus, volumen nobis nasci posset. Quare hæc, ab auctoribus physiologicæ doctrinæ potius petenda prætermittimus; illis nunc inhæsurus, quæ proxime videntur facere ad intelligendam raucitatis originem. Obseruauerunt autem pridem phonurgi, quod illa instrumenta, quæ superficiem illam, per quam aer transire debet, læuissimam & æqualissime politam habent, sonum gratissimum & clarissimum reddant: e contrario autem stridulum, ingratum & obtusum emittant, quorum superficies aspera & inæqualis est, & vel læuigationem non adepta est, vel ex materiæ ineptæ culpa, non admisit. Quo magis compacta sunt ligna, ex quibus parantur, eo meliores fiunt omnis generis tibiæ: sed præoptimo ligno ebur aut metallum parandis tibiis maxime sonoris inseruit: tubæque ex orichalco vel argento factæ præstantissimum sonum ac purissimum edunt.

§. IV.

Illam igitur politam, glabram, læuemque superficiem ut haberet aspera ab antiquis dicta, propter cartilagineam substantiam, arteria, corporis nostri conditor benigne prouidit membrana eam interiorius obducente læuissima, & non minus quam politum metallum æquali. Hanc insuper, quo magis sit læuis, obtegit humor quidam mucilaginosus, quemadmodum ligna solemus vernice obducere, ut resplendentia reddamus. Si quis cupit suis id oculis

lis arbitrari, accipiat hanc arteriam, sano animali recens mactato excisam, diuidatque per medias cartilagineas secundum longitudinem, atque diductam super tabula affigat. Videbit omnem interius tectam muco isto æqualiter inhærente. Molli deinde lintheo aut spongia detergat omnem istam mucositatem, atque ita eam contempletur illico; erit politissima. Si pauca momenta transierint, videbit innumera puncta, quæ ex minutissimis continuo maiora fiunt, tandemque inter se coniunguntur, ut tota superficies nouo muco, tamquam vernice, intra exiguum tempus tegatur. Scilicet sunt hæ exiguæ guttulæ, quæ ex infinitis poris scaturiunt. Non male scaturiginem earum suspiceris esse glandulas illas, quas accuratissimus MORGAGNVS primus detexit & descripsit, tabulaque luculenta exhibuit *aduersar. anatomic. I.*

§. V.

Similem muci prouentum in palati cælo observabis, si probe deterfum in recenti cadauere luciliberè allabenti exponas, ipseque ita commode adstes ut contemplari omnia liceat. Si scaturiginem scire desideras, examina velum palatinum, videbisque in plurimis glandulas spisse sibi adiacentes. Narium tunicam muco continuo obduci noto notius est, indeque iam diu pituitariæ nomen ipsi adhæret. Quod si quis non alio fine hæc ita fuisse condita dicere vellet, quam ut ignobilis muci excretorium sufficiens adsit: næ is videri debebit de summi conditoris sapientia & bonitate abiecte sentire, qui ad suam imaginem creati hominis os & nares for-

B

dium

dium euerricula fecerit; quum nec rusticissimus architectus cloacam in frontispicio ædium collocaverit, ianuæ principali imminentem: aut per introitum ipsum efferri sordes & deriuari instituerit. Scilicet tam nares, quam palatum summasque fauces, tali muco obducta esse oportuit, ne ab aere continuo per illas vias intrante & exeunte, hæ partes facile ficcarentur; nam si id accidit, naribus olfactus perit, fauces vero & palatum in loquendo, deglutiendoque continuo offendunt, fitisque molestias perpetim sentiunt.

§. VI.

Atque vt nunc ad pathologiam commode transeamus, frequentissima raucitatis causa est, docente SENNERTO *lib. II. part. III. cap. 4.* quando membrana, quæ laryngem & asperam arteriam inuestit, exasperata & inæqualis redditur. Nam quod Galenum sequuti plurimi humiditatis influentis copiam hic potissimum accusant: videntur potius reliquorum, quæ in catarrhali affectione, cui raucitas sæpe iungitur, phænomenorum, præcipue tussis, rationem habuisse, quam raucæ vocis proximam causam attigisse. Quamquam enim negari non potest influens in asperam arteriam & vicinas partes copiosius fluidum antecedentis causæ locum tueri posse: vt tamen vox imminuatur & rauciat, præcedere debet aliquid, quod humores solito copiosius hic influentes, exitu pororum constricto, intus cohibeat. Hoc facto accidit vt ad exitus locum appulsum fluidum subsistat, a subsequente autem vrgeatur, vt inde

de folliculus excretorius in omnem dimensionem amplius diducatur. Tale quid autem fieri ipsis oculis nostris cernimus in cutis superficie, quam si bene commotis humoribus, & sudore fluente, frigido aeri exponamus, illico sentimus exasperari multis conspicuis exstantiis, quæ, si membrum id passum mox iterum contegatur & calore blando foueatur, redeunte sudoris effluxu, disparent, ut tota cutis ad pristinam æqualitatem læuitatemque reuertatur.

§. VII.

Comprobat nostrum de frequentissima & proxima raucitatis causa sententiam illa antiquissima observatio, quod numquam magis hoc vitium observetur, quam illo tempore, quo maxime solent humores ad excretionem inuitari, & subito enascuntur ac superueniunt causæ, a quibus excitata & pulchre succedens iterum supprimitur. Est enim, ut HIPPOCRATES docet, *sect. III. aphor. 20.* verno potissimum tempore frequens raucitas: aliis autem temporibus non infrequens, si austrinas constitutiones mox excipiunt aquiloniæ. Eos autem facillime occupat, qui ex loco calido, humoribus antea per potum spirituosum, aut infusa etiam calida, commotis, ventis frigidis, tanto autem magis simul humidis, diutius sese exponunt, præsertim si multum sermocinando aut cantando pulmones exercuerunt. Nam cum omnia hæc sanguinem ad motum celeriores impulerint; exhalationemque per bronchia, asperam arteriam & fauces intenderint: nunc, ubi frigidum aerem diu admittunt, eo constrin-

B 2

gun-

guntur illi exitus, fiuntque quæ antea diximus. Tanto autem magis fiunt in illis, qui sanguine valde abundant: a quo expanso excretoria etiam extrema magis diduci solent, quam si minus conspicua humorum copia suppeteret.

§. VIII.

Comprobat dicta clarissimi quondam medici Tigurini IO. de MVRALTO, observatio luculenta quam *Ephem. Ac. N. C. Cent. II. ann. 8. pag. 53.* inferendam dedit, de duobus hominibus antea robustis, qui ex tali casu in raucitatem inciderant, &, quum peccare in bonam diætam non desinerent, leuemque visum affectum vino se meruiros crederent; hinc in lethales tandem morbos decurrerunt. Alter iuuenis nobilis ad venationem profectus, quum ob tempestatem frigidam & pluuiosam ruri per complures dies degeret, noctuque frigus, ob necessariorum ad eius propulsionem defectum, perferre deberet, vino meraco multum poto curationem tam sinistro successu committebat, vt magis confirmaret rauim suam cum ceteris catarrhalibus molestiis, tandemque in veram phthisin incideret. Nam quum non expectari, ob perpetuum frigus humidum, posset detentus mucus, diffuente & elapsa tenuiori parte, reliquus induruit in tartaream tophaceam materiam, quam deinde, post exulcerationem phthisicam, copiose eiecit. Alter Ianio, qui ex simili aeris constitutione inter crebras computationes raucus factus erat & Baccho potius quam Æsculapio salutem suam committendam ducebat, quum inter hæc aliquot

quot hebdomades transegisset, febris accensa vitam pessumdabat. Prior observatio in memoriam mihi reuocat aliam haud dissimilem, quæ ibidem *pag. 329.* legitur, de raucedine diuturna in viro, vt videtur, prouectioris iam ætatis; vbi pariter tophaceæ materiæ reiectio obuenit, quæ tamen, vbi feliciter euacuata fuit, raucæ vocis vitium inueteratum feliciter abstulit. Fuerat hic vir antea a podagra vexatus: vnde vero videtur simile tophum, isti morbo obnoxiiis ad articulos deponi alias solitum, ad asperæ arteriæ poros excretorios fuisse cum muco delatum, ibique induruisse, atque sic asperitatem & inæqualem superficiem produxisse.

§. IX.

HIPPOCRATES plures observationes de ventorum ad vocem vel clariorem vel raucam reddendam potentia in libris *de aer. aq. & loc.* reliquit, quas ibi relegendas commendamus: idem etiam seorsim annotat *pag. 283.* quod qui per hyemem glaciatas & tum a niue tum glacie turbidas aquas bibunt, raucitate maxime tententur. Cumque tales aquæ in totis regionibus, vbi multum potantur, scrophulosas producere, colli glandularum inflationes & deformationes soleant: apparet quod calcaream tophaceam materiam facile deponant: simulque clarum fit, cur non pauci ex scrophulosis etiam raucam & impeditam vocem habeant.

§. X.

Atque in hætenus adductis manifestum est, quod inæqualitates quædam & asperitudines in viis,

quas vox traicere debet, p. n. enatæ raucitatis causæ sint. Nunc ad alia, quæ ab observatione innotuerunt, transimus. Toto die obueniunt homines raucientes, qui diutius cum contentione sermocinando, cantando, clamando vocem sibi minui sentiunt, transitorio fere effectû, quippe post non longum interiectum temporis spacium sponte cessat & emendatur. In his videtur aeris cum impetu protrusi, diutiusque per hunc canalem latius siccitatem induxisse, lubricitatem, quam humiditas muci naturalis præstabat, abstulisse. Confirmatur hæc ætiologia eo, quod tales conspicue sentiunt illam siccitatem & ariditatem faucium sensim augescientem, sputaque tenacia vix emoliri valent. Veroque simile est inter hæc particulas muci tenacioris, toties protruso aere impulsas, passim aceruatas adhærescere lateribus, vocemque ibi allisam frangi & minui.

§. XI.

Inflammatione laryngis laborantes, vt & phthici & hectici, morbo progrediente & confirmato, raucitate insigni detinentur. In his calor, qui illam partem & respectiue totum corpus exurit, consumta & per sudores fere detracta humiditate, spissitudinem humori per glandulas & poros asperæ arteriæ & faucium excernendo inducit, vt parce & inæqualiter effluat. Videtur etiam partes multas illius crassæ & spissæ materiæ, quam ex bronchiis, sæpeque ipsis pulmonum vlceribus, tussi continua emoliuntur, adhærescere lateribus asperæ arteriæ, ibique

ibique transeunti aeri crebras offensiones obicere. Quod morbillis sæpe iungatur raucitas, eaque non optimum signum præbeat, apud multos annotatum legimus. Euenit autem tunc, quando interiores superficies, non minus quam externus corporis habitus, ab illo morbillolorum exanthematum prouentu obsidentur; vnde non solum ab intumescencia spacium interius asperæ arteriæ minuitur: verum etiam ob papulas illas crebras inæqualis, & quam maxime quidem, redditur. Ex quo consequi necessum est quicquid ab aliis asperitatibus & inæquali superficie euenire toties diximus.

§. XII.

Raucitatem sæpius accessisse hominibus cum colicis atrocibus doloribus diu conflictatis, feminisque hysterics, vt & illis, qui lumbricis infestantur, a permultis obseruatoribus medicis annotatum legimus. Seorsim relatum in collectionibus physico-medici Vratislauenfis a b D.D. KANOLDO vulgatis legimus de femina paupercula Memmingensi, quæ per XVIII. annos dira tormina, colicam & hystericam passionem referentia, passa fuerat, cui tandem insignis raucitas superuenit, a qua in inuidiosam suspicionem venereæ labis adducta, parum aberrat, quin tamquam impudiciæ pœnas merito luens misericordia & stipe omni indigna deferretur. Cum vero feliciter assumisset medicamentum raucitati accommodatum ex oleo amygd. dulc. syrupo violar. & sp. falis ammoniaci: prodire, post grauissimam dolorum exacerbationem tandem cœperunt, quæ per tot annos ignoratæ fuerant, ranæ

com-

complures viux quibus eodem medicamento copiosius sumto, subiunctoque purgante, expulsis, libera deinceps ab isto tam diuturno malo & raucitate sua facta est.

§. XIII.

Pridem laborauerunt summi & præstantissimi viri, vt anatomicæ doctrinæ subsidio illustrarent nexum, qui diris istiusmodi intestinorum cruciatibus cum voce intercedit. Et quidem WILLISIVS *in nervorum descriptione, cap. XXIII.* RAYM. VIEVSSENIVS *in neurographia vniuers. lib. III. cap. V.* omniumque, vt puto, clarissime LANCISIVS *de gangl. nervorum* ostenderunt, quanta sit nervorum coniunctio & implicatio cum omnibus vniuersi corporis partibus. Seorsim vero paris vagi & intercostalis rationes hic habendas docuerunt: qui per abdominis partes omnes, sæpius inter se combinati & iuncti distribuuntur. Iam vero ab iis nervis tum vbi per ceruicem decurrunt ramuli ad laryngem & summas fauces emittuntur complures, tum vero maxime conspicui ex thorace ad easdem partes recurunt, quibus propterea recurrentium nomen fuit impositum. Atque hinc maxime fit vt in vehementibus intestinorum cruciatibus & spasticis contractionibus vario modo guttur, fauces, respirationisque organa & viæ afficiantur, sub vario schemate ita vt aliis potius aponia sit, ad tempus durans, aliis raucitas cum metu suffocationis, quoniam sonum emittere tentantes percipere sibi videntur in summo laryngis aliquid inflatum quod in asperam arteriam cadat: cuiusmodi ægrotum, qui talia tantua

tum per paroxysmos patiebatur, exhibet illustris FR. HOFFMANNVS, præceptor & patronus meus ad cineres omni obsequio colendus, *medicin. consultat. tom. XI. pag. 333.* Sed in aliis eandem raucitatem & vocis obscuritatem semel inductam vsque ad mortem durasse, annotat BONETVS *anatom. practic. lib. I. sect. XXII. obs. XVIII.*

§. XIV.

Allegantur etiam aliæ causæ raucitatis, quas inter rariores referre licebit. Ita SCRIBONIVS LARGVS *cap. LIII.* coriandrum raucitatem facere scribit: quod de recenti planta & femine, quippe a veteribus inter venena sollemniter relatis, oportet intelligere. Consentit Scribonio DIOSCORIDES *lib. VI. cap. IX.* Sed NICANDER *alexipharm. v. 160.* contrarium videtur effectum illi tribuere. Scribit enim ab illo assumpto vesanos vehementer clamare, attontarumque Baccharum ritu acutum melos sonare, ingenti mentis æstro percullos. Non immorabimur illis conciliandis. Esse apud gentes climata calidiora habitantes noxium & venenatum, in nostris regionibus minus tale deprehendi, certum est. Venena autem quæ facultates animales peruertunt, non omnes æque afficere, sed multum hic pendere a subiectorum varietate, notum est atque inter omnes peruulgatum: atque adeo vinum, ubi caput tentauit, non eosdem producit effectus: alios enim loquaces, solutos, iucundos facit: alios tristes & taciturnos. Potest etiam quantitas assumpti maior vel minor noxam variare, atque initium effectuum noxiorum

ab eorundem progressu & exitu diuersum concipi. Ad rariora etiam exempla referendum erit illud a PLATERO *observat. lib. II. pag. 426.* consignatum, vbi tenellus in vinea depositus, ibique forte reptantem scarabæum inueniens, ori illum admouit & deglutiit, vnde dira symptomata, comite raucitate, subsequuta sunt: quæ omnia reiecto iam mortuo animalculo cessauerunt. Videtur hic casus multum conuenire cum illis, vbi lumbrici, aliaque animalia in intestinis hospitantia, raucitatis causam attulerunt. Denique IORDANVS quoque raucitatem a veneficio indutam recensuit, in libro , quem de eo, quod diuinum in morbis est, conscripsit *pag. 109.* Sed ipsum adeundum permittimus, vt appareat quid illa accusatione efficiat.

§. XV.

Neque omittendum videtur, quod in febribus malignis quibusdam accidere soleat hominibus plethoricis, vt sanguis ad fauces & nares congeratur: vbi si exitum per nares criticum non inuenit, plerumque phrenitis euenire aut comatosa symptomata accedere solent. Talibus vox esse solet rauco & tremulo clangore, vt DVRETI verbis vtar, horrissona, tamquam ex aspero instrumento emissus sonus. Si linguam horum inspiciamus, aridam illam, scabram, fissam, duram, nigramque inuenimus, vnde in conualescentibus detrahatur, vt a coctis animalium linguis, exterior tota tunica: cuiusmodi exemplum in femina Altorfina se vidisse D. D. PRÆSES in practico collegio retulit. Huic similem in-

venio

venio casum in SIM. PAVLLI *digressione de febr. mal.* §. 19. hac tamen differentia intercedente, quod in illa femina, vbi semel suas exuuias lingua sponte deposuerat, nulla alia excoriatio sequebatur: sed in illo posteriore casu, Hafniæ observato, iterum iterumque detrahenda per chirurgum crassa hæc tunica fuerat. Non magnopere hic credo laborandum esse, vt cognoscatur etiam hic asperitatem similem, quam lingua præ se ferebat, cum exsiccatione, in faucibus & aspera arteria fuisse, indeque euenisse vocis raucæ vitium: quam sententiam etiam modo laudatum SIM. PAVLLI, vna cum DVRETO, quem adducit, amplexum video.

§. XVI.

Addendum etiam hoc puto, aliquos raucos tota sua vita occurrere, valetudine ceterum integerri-
ma fruentes, nullaque labe adpersa. Loquuntur articulate, & vt exaudiri satis commode possint: clamare etiam, vt e longinquo percipiantur, valent: sed vox ingrati quid habet & striduli, vt fere sonus tubæ figulinæ discrepat ab eo, quem ex ærea vel argentea emitti percipimus. In talibus quid subsit vitii, haud facile quisquam harioletur: videturque omnino a prima natiuitate id fuisse: quod tanto magis ad fidem pronum est, quum aliqua nobilis persona, in qua id observatum fuit, etiam in prolem aliquam eiusmodi singularem vocem, etsi non æque notabiliter imminutam, transtulerit.

§. XVII.

Tandem sunt haud pauci, quibus raucitas accidit ob exulceratas tonsillas, vuulamque & palatum vario modo vitiatum: quod vel ab inflammatorio aliquo morbo prægresso & male tractato, vel a scorbutica aut venerea cacochymia, vel vtraque inter se mixtis, contingere solet. Atque huiusmodi raucitas ex causarum prægressarum examine & aliorum, quæ eam comitantur, symptomatum consideratione dignoscenda est. Aliqui horum non solum vocis sonum deprauatum & imminutum habent, verum etiam in articulate proferendo sermone offendunt, præsertim vuula, quam plectrum vocis veteres vocauerunt, aliquid passa. Sed nec hoc perpetuum esse, obseruatum legimus: quum aliqui, quibus vuula præcidi & eximi debuit, sermonicari tamen æque, vt antea, commode potuerint.

§. XVIII.

Quod iam ad prognosin attinet, notum sane certumque est, quod admodum multi, qui ex tempestatum vitio raucitatem quotannis contrahunt, sponte ab illa liberentur, quam primum emendatior constitutio anni rediit, aut quando ipsi semet subtrahere illis causis, a quibus hoc vitium contraxerant, potuerunt. In his itaque exigua sæpe medicina effici potest, vt omni incommodo careant. Vbi vero non eximuntur illis causis, verum etiam diætæ vitiis, perpotationibus, nocturnis grassationibus, itineribus sese indulgent, potest omnino grauius malum reddi, & in statum immedicabilem deduci.

duci. Vtique si senes id patiuntur & committunt; quibus HIPPOCRATES dudum prædixit, *Secl. II. aph. 40.* quod raucedines in valde prouecta ætate coctionem non admittant. Ratio huius asserti hæc mihi videtur, quoniam vltima ætas per se ficcior est, & excretiones imminutas habet: humores autem tenaciores lentioresque sunt: vnde a diuturniore mucii, in pororum folliculis inclusi, detentione in tophaceam duritiem facile concrescit. Quod tanto minus mirandum est, quoniam, vt supra §. VIII. vidimus, in florentissimæ ætatis iuvene id contingere visum fuit.

§. XIX.

Raucos a diutius protracta sermocinatione factos, si nulla alia causa subest, quies & resectio facile liberat, quæ si nondum satis iuuant, medicina aliqua commoda satis promte succurret. Inflammatione faucium & laryngis laborantes, vt & syncho putrida detentos, nihil iuuat, nisi quod morbum, cuius symptoma est raucitas, leuare & percurare possit: omninoque non consultum est vllam medicinam directam ad vocis hoc vitium pugnare. Idemque tenendum est de ista raucitate, quæ a colicis doloribus, hystericeque passionibus, tamquam a radice, prouenit, aut verminosæ pullitiei in intestinis hospitanti debetur. Nam nisi illos morbos curaueris, nihil efficies: sed nec semper tunc raucitatem tolles, si tandem deuiceris istos. Nam si diu affligerunt, senesque inter hæc facti sunt ægroti, potest organicum vitium tantoperc confirmatum esse,

esse, vt neutiquam emendationem admittat. Idem esto præfagium de ea raucitate, quæ a cacochymia scorbutica, aut impuritate venerea, pendet. Vbi enim est mali initium, & erosiones potius instant, quam factæ sunt, medicina principali morbo debellando apta facile vincet: sed iam factas erosiones ita consolidare, vt omnia redintegrentur & vlcera coeant, non semper in artis potestate esse nimis multa exempla comprobant.

§. XX.

Restat nunc vt expromamus, quid medicina ad sanandum hoc vitium recta ratione vsuque comprobatum habeat. Iam vero maxime vulgaris illa & fere quotidiana raucitas, ab rigida & ventosa tempestate contracta, vt vix vmquam sola est, sed pluribus catarrhalibus molestiis sociata ingruit, postulat regimen & medicinas catarrhalium affectuum. Iuuat aerem ambientem calidiorem adhibere, & omnia facere, quæ poros obstructos & occlusos referare valent. Plerumque hic remorantur affecti emendationem vitii, quando non valent se subtrahere aeris intemperiei: aliqui, quod diebus in calido transactis emendari cœptum est, noctibus corrumpunt, quando frigidis locis decumbere vel coguntur, vel commodius ducunt. Non parum adiuvant medelam infusa calida, a quibus etiam vaporem ore aperto attrahere efficax est. Quidam seorsim hic laudant illud a rapis exsiccatis, quarum etiam iusculum hausisse bonum est. Quibus id non suppetit, serum lactis calidum cum saccharo bibant.

Adhi-

Adhibeant deinde semel iterumque medicinam aliquam, quæ poros recludat. Has inter principem locum habent flores sulphuris, quorum duo, tria grana plerumque sufficiunt, vel cum aliquo absorbente terreo assumpta, vel cum vitello oui & saccharo subacta. Potentior est æthiops mineralis, de quo b. D. D. GOETZIVS candidum testimonium perhibet *Act, physico-med. vol. II. pag. 439. huius, inquit, in catarrhalibus, & ortis inde faucium affectibus ac raucedine laudatam efficaciam in me aliisque crebrius cum summo gaudio expertus sum verissimam.*

§. XXI.

Et sane, quisquis experiri voluerit, fatebitur in hoc esse præsentissimam medicinam, quæ facile vincat, quicquid boni etiam ab essentiis catarrhalibus alias sperari potest. Est enim sulphur vere diapnoicum, quod absque vlla sensibili caloris incensione poros aperit: quo elogio non possumus ornare medicinas cum spirituoso menstruo paratas. Admodum ingenue laudes eius prædicat DAN. LVDOVICI *de pharm. mod. sec. accommod. p. m. 164. 165. potestque, qui cupit, imitari eius pulverem pectoralem ex sulphure, rad. ireos Fl. & ari: cui addere pro lubitu antimonium diaphoreticum, C. C. sine igne ppt. & similia licebit. Sed potentiolem esse debere æthiopem mineralem, quippe ex sulphure, diapnoicorum principe, & mercurio, optime resolvente, compositum, manifeste cognoscitur. Si quis autem vti secure æthiope minerali cupit, monendus videtur, quod illa præparandi ratio, vbi flores sulphuris*

ris cum mercurio diuturna tritura iunguntur, non sit æque consultata, ac altera illa, vbi sulphuri, in fistili vase liquato, mercurius spatula lignea probe miscetur. Vile enim vere est alterum illum, sola tritura sine igne paratum, in cochleari, ex quo datus fuit, mercurii viui vestigia reliquisse, & saluationem excitasse: quod ab altero debite parato non obseruabitur. Addam hoc etiam, quod æthiops tutissima illis sit medicina, quorum vitæ rationes non permittunt, vt se aeri, quantum satis erat, subtrahant.

§. XXII.

Potest vsus horum adiuuari infusis calidis, quæ ex radicibus & herbis ac floribus temperatius incidentibus & aperitiuis parata sint: vbi etiam pro acrimonia feri tenuioris, quod tunc fauces irritare solet, aliqua ex mucilaginosi arteriacis addi possunt: qualium exemplum esse possunt species pro decocto florum & fructuum officinales. Aut suadeatur infuso edulcorando addendus syrupus de althæa Fernelii, cuius plane est polychrestus vsus. Parari etiam possunt ex aquis destillatis potiunculæ, quibus in diuturniori malo addi potest, præter modo dictum syrupum, lohoch de scilla, aut gummi ammoniacum aceto scillino solutum. Neque parum spectatæ virtutis est laudatissimus syrupus de erysimo, quem MATTH. LOBELIVS, a RONDELETIO edoctus, in famam dedit, & descripsit *obseruat. stirpium* pag. 103. & *Aduersar.* pag. 69. Iungi commode potest fero lactis calido, aut addi potiunculis. Longum possemus hic dare eorum, qui in scriptis suis de præstan-

præstantia eius testimonium perhibuerunt indicem : sed malumus experientiæ, quæ nostris etiam votis respondit, permittere.

§. XXIII.

Sæpius & a multis agitata est quæstio de vena fecanda in catarrhalibus molestiis & raucitate. Sunt qui absolute prohibent: vt *A. N. C. Decur. I. ann. 9. obs. 57.* legipoteft. Verum contra hanc sententiam pronunciat earundem ephemeridum *Cent. I. pag. 330.* celebris Vratislauiensium archiater D. D. de HELWICH, ingenue professus, quod antea noxium remedium iudicauerit, sed sæpius spectato laudabili effectu longe nunc alia sequatur. Eius obseruationem candido calculo confirmat non minus clarus medicus Saxoniae inferioris D. CONR. BERT. BEHRENS, qui notabili historia optatum & sua spe maiorem effectum eius comprobat *Eph. N. C. Cent. III. pag. 268.* Quid intuiti sint qui prohibuerunt eam, & quibus conditionibus eadem sit non solum innoxia, verum etiam laudabilis, pro more suo planissime ostendit illustris noster Æsculapius FR. HOFFMANNVS *medic systemat. tom. III. pag. 614.* Ex quo etiam colligitur quod in synochis putridis, vbi lingua scabra fissaque est, & hæmorrhagia narium non succedit, locum initio morbi quam maxime habere possit.

§. XXIV.

Valde commendatur a SYLVIO, aliisque probis auctoribus, spiritus salis ammoniaci anisatus, quem commode licet mixtis, probeque inter se agitatis, syrupo violarum & oleo amygdalarum dulcium addere, istamque mixturam subinde lambere, vt successiue

in fauces defluat. Addunt aliqui formulæ spermaceti. Sic illa simul, faucium asperitatem lenit & demulcet, & penetranti salina qualitate aperit & detergit, vt & relaxatas faucium & columellæ fibras aliquantum roborando contrahit, vt stagnans in ipsorum poris mucosum facilius expellant.

§. XXVI.

Nihil video, quod dictis de curatione raucitatis adiiciendum necessitas postulet. Nam quæ a colicis, hystericisque passionibus, a lumbricis, a phthi-
si & empyemate, a scorbuto denique & lue venerea pendent, non habent proprias curationes, sed emendatis atque curatis illis morbis, emendabuntur, nisi, quod antea dicere me memini, vitium organicum, quod artis potestate superius sit, iam fuerit inductum, aut prouecta valde senectus, inveteratumque malum, hanc spem deludant. In illis, quibus a tonsillarum erosione vitium pendet, setaceum aliquando operæpretium fecisse, ex FABRIC.

HILDANO annotatum inuenio. Atque hic
filum abrumpo, huncque statuo
commentandi

F I N E M.



NOBILISSIMO ET EXIMIE DOCTO
DOM. CANDIDADO

S. P. D.

FRIDERICVS HOFFMANNVS

ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ SENIOR ET NVNC PRO-RECTOR

S. R. M. PORVSSICÆ A SANCTIORIBVS CONSILIIS ET

VALETVDINIS CVRA ORDINIS MEDICI h. t.

DECANVS.

Homini DEVS præ cunctis animalibus
dedit ut ratiocinari possit, quæque apud
se cogitavit voce articulata proponere.
Hoc præstantissimo munere qui recte
utuntur, commoda societatis hominum amplissime
promouent. Sine eo nulla essent sapientia studia,
nulla de Deo, eiusque benignitate, institutio, nulla
de nostris erga ipsum & erga socios officiis præcep-
ta, nullum hominis cum homine commercium. Non
igitur superflua est cura, quæ a medicis impendi-
tur, ut isto tanto beneficio mortales possint integro
illibatoque perfrui. Certe non minimum est in-
commodum, quod rauca vox & obscura adfert,
præsertim si illis accadat, qui aliis docendis & di-
rigendis præfecti sunt. Quare laudo operam tu-
am, quam strenue & feliciter impendisti eius cau-
sis

*sis eruendis & remediis inuestigandis. Gratulor
TIBI felicem exitum academici studii, quod in tri-
bus academiis laudabili industria, & cum perpe-
tua honestatis probitatisque laude, peregisti. Non
intempestiue ad honores capeffendos accessisti: quos
DEVS faustos fortunatosque TIBI, patriaeque tuae
euenire iubeat. Vale, die XXV. Martii M DCC XL.*

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOM. CANDIDATO
S. P. D.
PRAESES.

Q*Uum TE per complures annos assiduume
auditorem & semestri spatio conuictor-
em habuerim, multumque virtutibus
tuis delectatus fuerim: non possum
quin TE nunc ad patrios lares reuersurum bonis
verbis prosequar, honoribusque tuis doctoralibus
applaudam. Facerem illud, si temporis copia pro-
lixo affectui meo par suppeteret, pluribus ornatis-
que verbis: sed quod TIBI maturandi itineris*

causæ acciderunt, frustra que musas meas, diu
iam raucientes, ad carmen TIBI pangendum sol-
licitando tempus contriui: pedestri hoc simplici que
scribendi genere satisfaciam meo in TE amor.
Apprecor faustum felicemque in patriam reditum,
utque TIBI ad votum omnia, meritis tuis con-
sentanea, fluant, ex animo opto. Medicinæ stu-
diis, quibus in alma Gryphiswaldensi & Viadri-
na operam laudabilem, ante quam huc accederes,
dedisti, ita innutritus es, ut numquam sine ap-
plausu in publico disserueris: nunc prorsus confi-
do fore ut artis opera, non minori agrotantium
fructu, quam tua laude, facias, patriæque plu-
rimum prosis. Idque ut amplissime eueniat, DEVS
faxit, a quo omnium, quæ rite conamur, suc-
cessus in nos deriuari debent. Vale. die XXV.

Martii cId lcccxxx.

Du, Werther, Dein Bemühen Dir die Belohnung
bringet,
Schreibt mancher Freund Dir ikt ein würdig Lob-Ges
dicht ;

Doch da dis ausgemacht und niemand widerspricht,
Daß Deine Würdigkeit in Ehren-Tempel dringet :
So wirst Du mir verzeihn, wann ich zu wenig schreibe,
Und nebst dem kurzen Wunsch nur bey der Wahrheit bleibe.

Gripswalde, Frankfurt, Hall sind schon beglaubte Zeugen,
Daß Dir der Hut und Ring mit allem Recht gebührt,
Und daß die Wissenschaft in Dir die Würde ziert,
Die Beyde sich nunmehr in schönsten Früchten zeigen,
Was willst Du also mehr, was soll man weiter Hoffen?
Hat nicht der Eltern Wunsch vollkommen eingetroffen?

So blüht Dein eigens Wohl und auch der Werthen
Deinen,

Die Ihren Ruhm vermehrt im Liebsten Sohne sehn.
Läßt Gott nun zum Beschluß auch meinen Wunsch geschehn,
So wird einst Dein Bemühen noch herrlicher erscheinen :
Denn also heist mein Wunsch : Zur PRAXI viel Gelücke,
Und zur gehülffin bald der Tugend Meister-Stücke.

Hierdurch empfiehlt sich dem Hochwerthesten
Heren Doctor zu beständigen Wohlwollen,
ein ergebener Diener

Johann Gottlob Albini.
Candidat. Jur.

NOs patrium solum coniunxit DVLGIS AMICE
Queisque vaco studiis & placuere TIBI.

Quin

Quin sub eisdem libamus doctoribus arti

Quæ levat ex ÆGRO CORPORE pulsa mala

HOFFMANNI, SCHVLTZI, veneramur nomina clara

Perpetuo vigeant quæ colit orbis, io?

Ergone num possum quin DOCTE gaudia tester?

Loëtor & ingenio, lætor & arte TVA

Accipe, quos medica ars TIBI jam largitur honores

Velisfletque TVIS aura secunda. Vale.

*Gratulantis animum hisce clarissimo Candidato
testari voluit.*

C. W. FRAVENDORFF,

Ucarom, Pom.

QUod legis exhibitum TIBI carmen CANDIDE AMICE!

Crede mihi, ingenui testis amoris erit

Namque TVO, fateor, multum delector amore:

Exsuldo ingenii dexteritate TVI.

Quumqueiacent alii, victor petis acer honores

Palmæ, quos offert, arte MINERVA sua.

Uttere, qua dignus, CLARISSIME, sorte secunda,

Tolleque quæ miseros invida facta premunt.

*Amoris testandi causa
Dissertationi Clarissimi candidati hæc tria verba
adjecit.*

F. J. F.

Evert, Pomeranus.

THE LIBRARY OF THE
MUSEUM OF NATURAL HISTORY
NEW YORK
CITY

THE LIBRARY OF THE
MUSEUM OF NATURAL HISTORY
NEW YORK
CITY